TEXTUS LATINUS

ERNALDUS ABBAS BONAEVALLIS

Arnaud de Bonneval

COMMENTARIUS IN PSALMUM CXXXII

Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum

PATROLOGIA LATINA

Tomus CLXXXIX | Columnae 1569-1590

Ex editione J.-P. Migne, 1854

ERNALDI ABBATIS

COMMENTARIUS

IN PSALMUM CXXXII : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum*, etc. (1)

(GALLAND., *Biblioth vet. Patr.*, t. XIV, pag. 487.)

HOMILIA I.

In versum 1 : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.*

1. *Ecce quam bonum*, etc. Ecce, vox intuentis et demonstrantis ; quam, admirantis et exclamantis. Quatuor sunt proposita, quæ ita congruo ordine colliguntur : intuitio, admiratio, demonstratio, exclamatio. Intuitio mundi cordis indicat puritatem ; admiratio, inspectæ rei magnitudinem ; demonstratio, socialis animi charitatem ; exclamatio, ipsius charitatis amplitudinem. Vide ergo qua laude extulit quod tam abrupto principio de repente protulit, admirando, exclamando, et amicos tanquam ipso digito ad spectaculum invitando.

II. *Bonum est*, inquit, *et jucundum* quod vobis offero, utile est et delectabile, quod ostendo. Nonne, ut verbis utar poetæ,

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci,

(HORAT. *De art. poet.*, vers. 343.)

multa sunt bona et non jucunda, ut jejunia, quæ carnem affligunt ; multa jucunda, sed nequaquam bona, ut carnis vitia, quæ Deum offendunt ? Iste miscuit nobis vinum ad mensam sapientiæ, et proposuit bonitatem simul et jucunditatem, utilitatem et dulcedinem in cratera divinæ clementiæ. Accedamus et bibemus, quia nec inhonestum est quod bonum dicitur, nec onerosum est quod jucundum describitur. Et quid est illud, quæso, quod ita animum afficit propter jucunditatem, et affectum allicit propter commoditatem ? *Habitare fratres in unum* : brevis descriptio, et quanto brevior, tanto obscurior. *Fratres*, in Scripturis invenio quadrupliciter nuncupari, secundum naturam, ut Jacob et Esau, secundum cognationem, ut Abraham et Lot ; secundum gentem, ut totam domum Jacob ; secundum fidem, ut omnes Christianos. Primi certant propter hæreditatem et ab invicem separantur (*Gen.* XXVIII) ; secundi, multo levius in Genesi alterutrum dividuntur (*Gen.* XIII) ; tertii, *divisi sunt ab ira vultus ejus* (*Psal.* LIV) ; et populus stultus et insipiens præ- B dicantur (*Deut.* XXXII) ; in quarto quoque gradu multi falsi fratres, multi schismatici inveniuntur (*Gal.* II ; *I Cor.* I). Qui sunt ergo isti tam beati fratres, germani tam laudabiles, quos nec invidia cujusquam, ut primos dividit ; nec pecunia, ut secundos secernit ; nec vecordia, ut tertios a Deo secludit ; nec multitudo in hæreses et sectas disjungit ? *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XXII) Multi vocati faciunt hæreses, pauci electi manent ut fratres. Isti pauci, isti electi, hi sunt fratres Jesu, qui servant unitatem spiritus contra invidiam, voluntariam paupertatem contra pecuniam, dilectionem, quæ fortis est ut mors, contra vecordiam ; fraternam charitatem, contra schismaticorum malitiam. Igitur præter illos paucos quos elegit Deus conformes fieri C imaginis Filii sui, ut sint isti unum, sicut et ipsi unum sunt, in toto orbe vix, imo nullatenus reperies, qui possit habitare in unum. Nota ergo ipsum verbum *habitare*, quod est immobiliter in unitatem consistere. Habitant autem et ipsi cum habitantibus Cedar, sed carne, non spiritu ; necessitate, non voluntate ; sicut advenæ, non indigenæ ; ut peregrini, non domestici ; denique ut compediti, non ut liberi. Unde et in morte, quando scilicet transeunt in libertatem gloriæ filiorum Dei, clamant et dicunt : *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus* (*Psal.* CXXII).

III. Impossibile cuiquam fortasse videbitur quod dixi sanctos immobiliter in unitatem, consistere cum illud unum, vel illam unitatem, non aliud quam D ipsum Deum velim accipere (quem solum vere esse unum, vel potius ipsum esse ipsam unitatem, in sequentibus comprobabo), et dicet : Quisnam mortalium immobiliter in Deum consistat, cum vel ad punctum temporis in illum ire tam rarum tamque difficile videatur ? Adverte aliud esse quod dicitur, in Deum ; aliud, in Deo. In Deo motionem indicat ; in Deo stabilitatem significat. Cum ergo dicimus habitare in unum, vel consistere in Deum, Latina quidem locutio dissonat, sed congruentia sensus ædificat : neque enim magnum est aliquoties peccare

(1) Ex mss. codicibus abbatiarum Longipontis et Cistercii.

Digitized by Google

in Priscianum, si tali peccato ædificare poteris Christianum? Dicimus itaque habitare in unum, ut et *habitare* stabilitatem assignet, et *in unum* motionem significet. Stabilitatem ad intentionis propositum, mobilitatem ad affectionis profectum referimus. Habitant ergo in Deum sancti et stabiliter et mobiliter : mobiliter, quia a Deo mens sæpe relabitur, et iterum in illum dirigitur; stabiliter, quia intentio nunquam mutatur. Eo modo et sphæram cœli videbant philosophi mobilem et immobilem : mobilem, quia perpetuo motu circa Galatiam rotatur; immobilem, quia a loco suo in alium non transfertur. Ita sancti : et mobiles, quia semper festinant ad bravium ; et immobiles, quia incommutabile tenent propositum. Itaque in Deum habitant sancti, dum ad illum tendunt constanter; habitant in Deo angeli, dum manent in illo immutabiliter : isti in Deum, illi in Deo. Erit autem quando omnes et sancti et angeli erunt simul in ipso, et ex ipso, et per ipsum, et cum ipso. In ipso refertur ad justitiam ; ex ipso, ad substantiam ; per ipsum, ad gratiam ; cum ipso, ad permanentiam. In justitia, similitudo ; in substantia, creatio; in gratia, reconciliatio ; in permanentia incommutatio accipitur Nec te moveat quod reconciliatio ad homines similiter et angelos dicitur pertinere; nam sicut homines in Dei gratiam redierunt, ita et angeli in pacem hominum transierunt, ut sint unum ovile sicut et unus pastor. Et omnia quidem habemus ex parte; sed cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est, et erit Deus omnia in omnibus.

IV. Unum, multifarie multisque modis : Dicitur namque unum secundum collectionem, ut grex unus, cum sit ex multis pecudibus adunatus; secundum similitudinem, ut multorum cantantium vox una, pro similitudine concordiæ, in unum redacta ; secundum compositionem, ut corpus unum ex partibus diversis compositum; secundum parvitatem, ut atomus unus, qui eo magis ad unitatem accedit, quo sectionem non recipit; secundum simplicitatem, ut anima una, quæ, licet in se diversas habeat potentias, una tamen et simplex est ejus substantia. Poterat et atomus dici unus secundum simplicitatem, sed magis proprie dicitur unus secundum parvitatem, sicut et punctum unum, instans unus, quia, licet in se non possint dividi, tamen partes eorum esse possunt quæ dividi possunt ut plures atomi unum dividuum corpus constituunt, plura puncta unam secabilem lineam faciunt, plures instantes unum interpolare tempus componunt. Hoc idem fortassis potest dici et de anima, quod pars sit constitutiva unius dividuæ rei, id est hominis, ideo non proprie unam appellari secundum simplicitatem : quod utique verum est. Nihil enim vere simplex est, præter Deum. Ipsum ergo solum et summum et principaliter unum fateri necesse est, qui neque ex partibus compositus, neque ex diversis substantiis collectus, neque ex similibus adunatus, vel dissimilibus, neque in indivisibilem parvitatem redactus, neque in plures est potentias dissipatus, ut anima, punctum, vox, grex, et corpus. Unus igitur cum sit solus Deus jam probabile est quod de solo Deo unitas prædicatur.

V. Et nota quod hæc ipsa unitas, de qua hic agitur, longe ab illa unitate quæ pars est numeri separatur; non enim hæc unitas in numerum potest multiplicari ; nec ex ea binarius, sive ternarius, vel quilibet alius numerus potest constitui, ut solet dici de numero, quod sit unitatum collectio. Trahit autem etymologiam de Græco, et dicitur unitas quasi onitas, id est entitas sive essentialitas : unde et apud Græcos ὄν, id est substantialis, videlicet in se et per se solum immutabiliter semper subsistens, Deus vocatur. Est autem quædam similitudo inter unitatem numeralem et unitatem substantialem. Nam quemadmodum dicitur unitas fons et origo omnium numerorum, ita quodammodo Deus fons est et origo omnium rerum : fons, propter inexhaustæ potentiæ majestatem ; origo, propter creatricis substantiæ sine principio dignitatem.

VI. Libet nunc item per singulas unitates, ut a prima scilicet usque ad summam unitatem perveniat, explanare. Et primo quidem ipsas species unitatis in brevi volo colligere, ut quid ex singulis recolligi debeat compendiose possim describere. Dicitur itaque unitas collectionis, similitudinis, compositionis, parvitatis, simplicitatis. Collectio pertinet ad monasticam congregationem, ubi Pastor bonus collegit oves suas ab Oriente et Occidente, ut recumbant cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum. Similitudo spectat ad morum conformitatem, ut quemadmodum laudamus Dominum una voce, sic et uno corde et concinna morum similitudine. Parvitas insinuat humilitatem, qua illi semper adversatur qui primus per superbiam deseruit unitatem. Simplicitas respondet ad intentionis puritatem, quæ mundat et præparat oculum ad Dei visionem, quia *beati* sunt *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v). Qui summa et beata unitas, summa et beata charitas, una in se, tunc omnia erit in omnibus, in æternum et ultra, sive per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

In versum 2 : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.*

I. *Sicut unguentum in capite.* Singula verba hujus psalmi suo pondere librata sunt, idcirco non debet præteriri iota unum aut unus apex intactus. Sicut nota est similitudinis : quæ maxime theologiæ familiaris est tribus de causis, tum propter ornatum, tum propter commodum, aliquando et propter necessitatem. Ornatus pertinet ad leporem scientiæ, commodum ad facilitatem intelligentiæ, necessitas ad difficultatem materiæ. Ornat enim sæpe similitudo sententiam, ut in proverbiis; dat aliquando facciliorem intelligentiam in obscuris et abditis, cum dicitur, verbi gratia; quidquid enim ad h

Digitized by Google

sequitur, similitudo præcedentium appellatur. Necessitas quoque aliquoties cogit dari similitudinem in his duntaxat quæ etiam viros acris ingenii solent exercere, et acutissimos sensus reddere impeditos, sicut cum loquuntur sancti de mysterio Incarnationis, de partu Virginis, de proprietatibus Trinitatis. Adhibent similitudines, quibus utcunque nobis possint persuadere quod sentiunt, quia videlicet aperta ratione nullatenus valent insinuare quod cupiunt. Et idcirco dixi hanc speciem similitudinis, maxime theologiæ famulari, quia nihil adeo humanæ rationi est perplexum, et, ut ita dicam, involutum, quam tractare de his, quæ etsi non contra rationem, tamen supra rationem esse probantur. Porro ornare sententias et obscura quæque per similitudines explicare, commune est nobis cum cæteris. Intuere igitur quæ et ad quid data sit similitudo, de qua tractamus, et occurrent tria simul, ornatus scilicet, commodum atque necessitas. Nam ut magis commendaret quod dixerat *bonum et jucundum*, urbane satis et eleganter singula statim propria similitudine decoravit, et ait, *bonum ut vos, jucundum sicut unguentum*. Et quoniam idiotis fortasse vel etiam capacioribus potuit esse obscurum, quod dictum est *habitare in unum*, subjungendum fuit aliquid simile, quod faciliorem faceret intellectum. Et quoniam magna est, imo quia indicibilis est multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam illi sentiunt quos abscondis in abscondito faciei tuæ, hæc maxime fuit causa, ut diceretur, *sicut unguentum in capite*, ut saltem a simili daretur intelligi quod mihi vel mei similibus necdum ullo modo datum est experiri. Illud abscondisti timentibus, sed sicut dicunt, qui experti sunt, revelasti amantibus. Incipiam igitur et ego jam nunc saltem amare, si forte amor iste in anima mea queat suos terminos dilatare; quoniam si creverit amicitia, crescet nimirum et illa scientia quæ ipsi notitia est. Jam ergo ad similitudinis sacramentum placet accedere, quia assimilationis causas me gratulor invenisse.

II. *Sicut unguentum in capite.* Unguentum in capite divinitatem intelligo in Christo homine, qui unctus est oleo lætitiæ, unguento majestatis et gratiæ, ita ut beata anima illa capax esset illius unctionis et gloriæ. Immensa quippe illa suavis ac dulcis unctio, sed sine mensura totam accepit cui tota plenitudo divinitatis corporaliter se infudit. Ut audivi *corporaliter*, respiravi, cum essem defunctus, incurvato et abbreviato Elisæo, ut puerum suscitaret. Cum essem enim carnalis, et non possem ea sapere quæ Dei sunt, adhæsit anima mea post Filium Virginis, et exorsus sum meditari, caro carnem, homo hominem, et inveni absconditum mel in favo, unguentum pretiosum in vitro mundissimo. Audivi quoniam quærentibus se illud mel aliquoties suam exhalat dulcedinem, illud unguentum suum exspirat odorem. Beatus cui datum est experiri. Unum scio quia oppido bonum est et jucundum habitare ibi in unum, ut sicut ille favus semper fruitur suo melle, sicut illa felix anima nunquam caret sua beatitudine, similiter si non æqualiter, interdum vel modicum a parvulis gustetur, *quoniam suavis est* (*Psal.* XXXIII). Ilic est enim panis qui confortat cor hominis in loco horroris hujus et nostræ solitudinis usque dum paupercula vidua Sarephtena congreget omnia vasa sua in unam domum, et impleantur omnia oleo Elisæi usque ad summum, et tunc stabit oleum. Nunc autem necesse est illud non stare, sed fluere et decurrere usque ad miserum hominem, qui vulneratus a latronibus jacet in via, et plurima indiget medicina. Fluit igitur hoc unguentum de vivo fonte angelicæ regionis, et irrigat omnem latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel, *a summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque* in vallem Jericho (*Psal.* XVIII), ubi occurrit vulneratis et languidis, *curans omnem languorem et omnem infirmitatem* (*Matth.* IX). Jam ergo operæ pretium videtur inquirere quinam sint illi beati ad quos descendere dignetur unguentum illud tam potens, tam efficax, tam suave.

III. *Quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Barba res est impassibilis, toti corpori præeminens, carni adhærens, de carne incrementum accipiens, sed sub capite constituta. Tales ergo sentio illos spiritus supercœlestes, natura impassibiles, corpori totius Ecclesiæ quodam dignitatis privilegio præcellentes, ipsi Verbo quod caro factum est, charitate perpetua adhærentes; ex eadem carne augmentum et reformationem suam, quantum ad numerum præstolantes, sed super se eumdem Deum hominem adorantes. Ilic est enim solus, cui datum est *ut in nomine ejus omne genu flectatur* (*Philipp.* II). Et hoc est quod per geminationem barbæ voluit confirmare, ut diceret barbam non cujuslibet esse, sed solius Aaron, qui *mons fortitudinis* appellatur, ille scilicet qui primo lapis parvulus crevit in montem magnum et altum : vere magnum, quia implevit orbem terrarum; vere altum, quia supra omnem virtutem ac principatum. Hujus ergo solius est barba, quia huic soli subjecta est omnis angelica creatura. Ab illo igitur, velut ab arce omnium rerum, in proximos angelos descendit effluentia gratiarum. Levavi oculos meos ad istos montes Israel, ad virtutes cœlorum, montes valde excelsos et præeminentes, si forte inde veniret auxilium mihi. Circuivi et plateas et vicos civitatis, attendens ut aliquis de sua plenitudine mihi aliquid largiretur. Et ecce unusquisque tenet quod habet, ne alius coronam ejus accipiat; et non est qui de manu eorum aliquid possit eruere. Ut dixi : Unde ergo veniet auxilium mihi? consului Prophetam, et responsum est, mihi : *Quia non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psal.* XIII). Igitur expectans exspectavi illum unum, et intendit mihi, quia misericors est, et fecit mihi magna qui potens est. Vere magna; nam et totum misericordiæ suæ sinum aperuit, et dedit homini carnem suam in cibum, sanguinem in potum, animam in pretium, divinitatem

Digitized by Google

sicut unguentum. Incommunicabile nihil reliquit, A omnia sua nostra fecit. Quia ministravit nobis ipse etiam Dominus virtutum, facti sunt et illi nobis omnes ministri, a summis usque ad imos, tota curia angelorum. *Omnes enim sunt administratorii in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (*Hebr.* I).

XV. Nota quod dicitur, *omnes;* nullus excipitur, nec illi qui assistunt dominatori universæ terræ. Et quid mirum? Nulla est creatura invisibilis, nulla virtus, nulla potestas, qui sibi officium quasi indignum aut velit aut debeat judicare; cum ipse Dominus exercituum per se, et in sua persona dignatus sit ministrare, imo se totum, inquam, exponere adeo ut dicat quidam sanctorum quod pene de suo periclitaverit, ut nostra salvaret. Non ergo solam B barbam unguentorum copia venustavit, sed etiam usque ad vestimentum nostri Pontificis, imo usque ad ipsa extrema vestimenta uberrima suavitas ejus descendit. Vestimenti ejus intexturam, formam, modum, qualitatemve describere alterius quidem est negotii, et, fateor, vires excedit. Solam igitur oram vestimenti ejus volo discutere, quæ et pars est ejus humilior et terræ contigua, et a capite præeminenti longe remota. Et profecto hæc quanto vilior, quanto inferior, tanto utique mihi vicinior, qui inter evangelicos publicanos et meretrices utinam vel extremum locum obtineam! quia etsi longe videntur a capite esse, tamen in vestimento Domini computantur. Video alios esse circa pectus Domini, qui C de intimo corde ipsius et hauriunt et propinant; alios circa brachia, qui filios unicæ matris et amplexantur et fovent; alios circa renes, qui in virginitate perpetua perseverant; alios circa tibias, qui totius Ecclesiæ membra sustentant. Sola ora vestimenti jacet inferius, tanquam vilis, tanquam indigna, et tamen nescio qua miseratione Domini, a vestimento Domini nunquam divisa. Hæc est vita pœnitentium, o egregie Psaltes Israel, Propheta Domini, fistula Spiritus sancti! Quam pulchre, quam magnifice consolatus es pœnitentes! Audivit et præ gaudio contremuit cor meum, commota sunt viscera mea; nam facis mentionem de amicis Sponsi, de his qui recumbunt super pectus Jesu, qui ducuntur in montem excelsum seorsum. De solis pec- D catoribus poterat dubitari utrum et ipsi ad regale sacerdotium pertinerent. Ergo condescende miseris, fove lapsos, solare lugentes. *Quod descendit in oram vestimenti ejus*, unguentum quod totam uranicam regionem infundit, unguentum quod omnes empyricæ domus substantias fovet et regit, quod omnibus lignis paradisi vitalem succum iufundit, hoc ipsum ad filios iræ, filios gehennæ. Mira res! ad semen nequam, ad genimina viperarum descendit. Qui erant, sed non cum illo, et vivebant, sed non illi; et sapiebant, sed non ipsum, ut insensati, ut ingrati, ut alieni. Reviviscat igitur animus peccatoris, et totum esse suum applicet Creatori, suum vivere Redemptori, suum sapere inspiratori, ita ut quod sapit, quod vivit, quod subsistit nulli hominum subtrahat; sed totum omnibus, totum singulis attribuat, quia unum est unguentum, una dulcedo, una suavitas Deus, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

In versum 3: *Quod descendit in oram vestimenti ejus, sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.*

I. *Quod descendit in oram vestimenti sui, sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.* Faciendum existimo quod, juxta Timæum Platonis, in omni tractatu fieri decet, ut inter initia consideretur quid sit de quo agitur. Oritur sermo non de villis atque agris, neque de re, quæ sæcularibus et elatis animis soleat esse domestica. Agitur enim B de illa invisibili unctione, quæ cum mansuetis ac simplicibus quoddam habet familiare contubernium, et mira quædam atque divina operatur in corde contrito et humili: *Insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc* (*Psal.* XCI). Insipiens quidem est qui seipsum non cognoscit; stultus, qui Dei bonitatem non intelligit. Et hoc duplex malum operatur sola superbia, quæ et furatur homini cognitionem sui, et rapit ab eo intelligentiam Dei: et ita insipientium ejus non est jam numerus. *Ignorans ignorabitur* (*I Cor.* XIV): ideo *insipiens non cognoscet;* et: *Spiritus sanctus auferet a se cogitationes, quæ sunt sine intellectu* (*Sap.* I), idcirco *stultus non intelliget*. Quid non cognoscet, et quid non intelliget? *Quam magnificata sunt opera tua, Domine* (*Psal.* CIII), quibus scilicet operaris salutem in medio terræ, in medio cordis contriti et humiliati, ut requiescat Spiritus tuus super humilem et quietum, et trementem sermones tuos. Abscondi eloquia tua in corde meo; et timor et tremor venerunt super me, sensi unctionem tuam, et quievi a prava consuetudine. Intellexi quoniam sine te nihil possum facere, et humiliatus sum usquequaque. Hoc totum ignorat stultus, quia elatus, tumultuosus, præsumptuosus; præsumptione Deum offendit, tumultuatione proximum lædit, elatione sese confundit. Non immerito dictum est, insipiens et stultus peribunt. O Domine, non veniat mihi pes superbiæ, pes lubricus, pes maledictus, in quo ceciderunt omnes et homines et angeli, male operantes iniquitatem; superbis enim tu resistis: idcirco expulsi sunt, nec potuerunt stare. Humilibus autem das gratiam quæ sola hominem a nexu et compede peccati potens est liberare, ad justitiæ viam revocare, in bono proposito confirmare, ad quietem repromissam inducere: Primum, ne peritum eat; secundum, ne erroneus fiat; tertium, ne iterum corruat; quartum, ne fructu careat. Hæc est quarta vigilia, in qua cepit laborantes. Nota genera gratiarum; est enim gratia liberans, gratia justificans, gratia confirmans, gratia glorificans. Hæc est illa invisibilis, multiplex, subtilis, et efficax unctio paulo superius prælibata quæ descendit ad lapides, ut faciat filios Abrahæ suscitans de pulvere egenum, et de stercore erigens

Digitized by Google

pauperem. Et vide qualem inveniat, unde inducat, quo promoveat, ut aliquando restitutus in gradum pristinum sedeat cum principibus, et solium gloriæ dignus sit obtinere. Invenit languidum et tumidum, fetidum; a planta pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas. Languor ad incontinentiam, tumor ad superbiam, fetor ad blasphemiam pertinet : blasphemia, locutione, superbia, cogitatione, incontinentia, operatione perficitur. Mittit ergo potentissimus medicus unguentum efficax ad curandum, quod statim curat languorem, premit tumorem, pellit fetorem. Et quia contraria contrariis curantur, opponit incontinentiæ honestatem, superbiæ humilitatem, blasphemiæ silentii gravitatem. Omnia quæcunque voluit fecit, et in uno solo homine illos tres mortuos evangelicos suscitavit, in domo, in porta, in monumento : corde, lingua, manu. Funiculus triplex difficile rumpitur; sed omnipotens est unctio quæ hæc operatur.

II. Qui ergo tanta contulit peregrino, vide etiam quanta faciat in exitu Israel de Ægypto. Adest enim morienti, adest exeunti, adest quiescenti. Quis enim angustias mortis patienter sustineat, nisi habeat Spiritum consolantem? quis ad occursus dæmonum non expavescat, nisi habeat adjuvantem? quis ad requiem transeat, si non habeat præcedentem? Adest ergo unctio ubique ægrotum suum fovens suaviter, ut sustineat non solum patienter, sed aliquoties etiam delectabiliter; transeat constanter, quiescat feliciter. O quanta unguenti hujus potentia, gratia, gloria, quæ tantos lenit dolores, fugat horrores, spirat odores, in abitu angustiæ, in transitu miseriæ, in sinu Abrahæ, ibi sedet pauper cum principibus qui congregati sunt cum Deo Abraham, et habet locum in solio quod est excelsum et elevatum, excelsum Angelis qui nunquam corruunt, elevatum in hominibus qui surrexerunt! Ibi descendit unguentum etiam in oram vestimenti, non utcunque, non humiliter; sed sicut abundantissime descendit ros Hermon in montem Sion. Hermon dicitur *lumen exaltatum*, Christus est, qui *seipsum humiliavit usque ad mortem. Propter quod et Deus exaltavit illum* (*Philipp.* II), sed non solum. Solus humiliatus est, sed non solus est exaltatus : omnia enim trahit in se, ad se, per se, ut *via, veritas et vita* (*Joan.* XIV). *Via*, hic peregrinantibus propter multos errores, et vastum exsilium : *Veritas*, hinc exeuntibus, quando post se relinquunt vanitatem et mendacium. *Vita*, illuc pervenientibus ad terram viventium, ubi Hermon stillat super eos et in eos suum rorem, ubi verum lumen scintillat in eos suum splendorem, et descendit etiam in oram vestimenti, sicut in montem Sion. O mons Sion, civitas veri David, turris excelsa, in alto sita, et super muros tuos angelorum custodia! O civitas sancta, quæ regem habes Christum, senatum multitudinem sanctorum, exercitum choros angelorum, legiones cœtus martyrum, qui usque ad sanguinem victoriosissima prælia peregerunt! O pulchra civitas, quam Sol justitiæ totam irradiat, quam totam ros Hermon influit et fecundat! Me miserum, qui extra castra tua expulsus sum tanquam leprosus! utinam possem figere tabernaculum meum in atriis tuis, vel saltem in suburbanis tuis! In atriis tuis habitat qui est in excessu, in suburbanis tuis qui est in profectu. Ego miser nec excedo, nec proficio; sed nescio per quæ phantasmata cogitationum in dies revertor ad vomitum sicut canis immundus. Non sicut catelli qui edunt de micis quæ cadunt illic de mensa illa cœlesti, de mensa filiorum Dei, qui discumbunt in cœna illa super pectus Jesu. Tria mihi sola supersunt, lugere, continere, timere : propter mala præterita, propter instantia, propter futura. Scio enim ubi hæc tria congregata fuerint in nomine Jesu, ibi est ipse in medio eorum; etsi non ut Sponsus, tamen ut Dominus; necdum tanquam Sponsus amorem imprimit, sed sicut Dominus terrorem incutit : in utroque tamen Jesus, in utroque Salvator, quamvis in isto dulcior, in illo asperior videatur. Erubesco tamen, quia adhuc maneo sub timore; prorsus erubesco, et tædium meum pene nequeo sustinere. Sed ne majori tristitia absorbeatur anima mea, non modice consolatur in eo quod scriptum est : *Beatus homo qui semper est pavidus* (*Prov.* XXVIII). Semper, notavi illud *semper*, et abscondi illud in corde meo. Paveo gratia adveniente, gratia recedente, gratia redeunte. Adveniens ingerit mihi pavorem ne illam offendam; recedens incutit mihi tremorem ne statim corruam; rediens immittit timorem ne iterum illam amittam. Data lætificat, ablata cruciat, reddita ad majorem solertiam me statim provocat. Ita fiat, Domine; timor tuus semper maneat in me, quia et ipse quanto diuturnior, tanto in dies fit castior, ut permaneat in sæculum sæculi. Cum autem ad purum fuerit defæcatus et in filialem reverentiam commutatus, tum plane legam in libro experientiæ quoniam timor tuus peccatorem et justificat et humiliat, ut sic coram vestimenti tui constituat, ut et vestimentum ad sanitatem et ora pertineat ad humilitatem. Novi enim quia sancti et humiles corde benedicunt nomen tuum, et accipiunt partem in hæreditate tua, in regno tuo cœlorum, ubi descendit in eas copia unctionis tuæ, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

In versum IV : *Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in sæculum.*

1. *Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in sæculum.* Gratissima inchoatio hujus psalmi, qui in bonitate et jucunditate operis subsequentis posuit fundamenta; sed non minus grata ejus conclusio, quæ sermonem terminat in benedictione et vita. Quam sapiens citharœda, nobilis puer iste, in cujus harmonia, tam consono tractu respondent ultima primis! Intueri placet in hoc breve psalmo illam quadrigam Israel, illud novum plaustrum David, cui imposita arca testamenti ducebatur Jerusalem, in clangore et jubilo, et omni musico instrumento. Non est nova interpretatio

Digitized by Google

David figuraliter esse Christum, arcam testamenti Ecclesiam, quæ in clangore confessionis, et jubilo devotionis, cum omnium virtutum consonantia, tendit ad illam supernam Jerusalem, matrem nostram, impositam plaustro, cujus in præsenti psalmo habes quatuor rotas, geminas scilicet in ipsa fronte psalmi affixas, totidemque circa terminum divinitus ordinatas : duæ anteriores, bonitas et jucundatio, duæ sequentes, vita et benedictio. Jucunditas in dilectione Dei, bonitas in amore proximi suam sedem locavit : vita in corporis incorruptione, benedictio in animæ integritate consistit. Duo prima habemus in re, duo postrema tenemus in spe : et hac quadriga quasi igneo curru Eliæ tollimur de medio vanitatis. De hoc igneo curru æstimo dixisse Prophetam : *Rotæ ejus, ignis accensus* (*Dan.* VII). Nonne aperte ignis appellatur dilectio, ubi dicitur : *Aquæ multæ non poterunt exstinguere charitatem?* (*Cant.* VIII.) Quam utique ipse auctor charitatis, dum in duo præcepta dividit, velut geminas rotas in curru suo et nostro constituit. Duas vero rotas sequentes, scilicet incorruptionem et integritatem, quare igneas appellavimus, ex subjecta similitudine demonstrabo. Cœlum illud in quo creati sunt angeli empyrium appellari, id est igneum, asserit Dionysius Atheniensis, in libro *De sacro principatu*. Igneum autem non a calore, sed a splendore, sicut e contra gehenna dicitur ignea, non a splendore, sed ab ardore, quia et infernales spiritus ardent, nec illuminantur, et cœlestes splendent, et non tormentantur, dum et apud inferos ignitus est ardor sine splendore, et apud superos igneus est splendor sine ardore. Eo nimirum modo ignea creditur futura nostra etiam incorruptio corporalis, et integritas spiritualis, quando et ipsam animam splendor corporeus venustabit. Et ne forsitan cuilibet minus exercitato tanto videatur incongruum, quanto insolitum, quod scilicet igneam animam vel igneam carnem nomino, ac per hoc ignitam animæ integritatem, vel corporis incorruptionem appello, noverit etiam in diffinitionibus philosophorum animam ipsam ignem, licet invisibilem, nuncupari. Ad quod probandum duas virtuales proprietates ignis dixerunt, unam scilicet mulcebrem, alteram vero peremptoriam asserentes, qualis cui inhæret aut perimit aut consumit; illam vero mulcebrem, qua substantiam sibi junctam fovet ac regit. Ac secundum hanc, non incongrue, ut reor, definierunt animam esse ignem, quæ corpus suum quodam moderato calore mulcet et nutrit, et per fenestras oculorum lucem tanquam suum simile ad se trahit, et in ea gaudet, et eam diligit. Probato itaque tam ratione quam auctoritate quod rotæ illæ de quibus hic agitur merito igneæ appellantur, nunc ipsam formam et partes ac compositionem singularum libet assignare; deinde ipsum plaustrum totum conjungere, et ita de quatuor rotis sermonem propositum terminare.

II. Primo de forma. Forma rotæ ipso ejus circulo designatur, quod videlicet a rotunditate sumitur, quæ, teste Hieronymo, omnium figurarum pulcherrima comprobatur. Verumtamen, nisi ego fallor, hæc figura non tam pulchra est ad intuendum quam profunda ad intelligendum; magisque utilem animis quam delectabilem oculis demonstrabo. Dicit Apostolus : *Quoniam invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* (*Rom.* I). In totalitate rerum visibilium oculum considerationis affigens, nullum invenio simulacrum quod expressius aut similius æternitatem Creatoris denuntiet quam in ea qua rotunditatis effigie decorantur, eo scilicet quod in eis principium nullo modo possit, aut terminus denotari. Quapropter visum est mihi quidquid in mundo pulchrius, quidquid sublimius, quidquid lucidius invenitur, ut, verbi gratia, solem, lunam, globos stellarum, et ipsam machinam, infra cujus ambitum omne, ut dicitur, corpus tenetur, idcirco in eam speciem esse formatum, ut in his immensitatem intelligeret Conditoris rationabilis creatura. Taceo illius Judaicæ institutionis coronas aureas, circulos, sphærulas, annulos, et cætera multa in hunc modum formata, sine quibus nec templum perfici, nec tabernaculum erigi, nec altare vel mensa, vel arca portari, nec vectes imponi, nec candelabrum consummari, nec rationale superhumerali potest connecti. Quæ omnia spirant sacramenta et perfectionem Ecclesiæ, nunc in parte, vel in toto; modo in membris, modo in capite; aliquando de præsenti, aliquoties de futuro; plerumque de carne, nonnunquam de anima; sæpe de toto homine proponentia ænigmata et figuras, de quibus dicere pe singula, proximum esse fastidio, et alterius fore ne gotii judicavi. Venio ad sacramenta Novi Testamenti quæ tanto profundiora, quanto utique digniora in telligo, interque omnia, illud terribile, illud divinum ac singulare mysterium, corpus Christi. Non in ali forma consuetum est a Patribus consecrari nisi rotunda (2), ut non solam carnem absque peccat sed ipsum quoque Verbum quod manet et in s æternitate subsistit, semper intelligas in sua car Patri offerri. Et hunc ergo æstimo intellectu animæ sacerdotis, multum conferre ad profectu amoris illius qui solet beare animos pietatis ca ces. Video et aliud in circulo sacramenti digni memoria, ut, quoniam Galilæus interpretatur ro *bilis*, ille idem intelligatur fore in mensa alta qui sedet super cherubim, quorum rotæ in E chiele, propter Galilæum qui præsidet, volub appellantur. Quia ergo sicut ex supradictis po perpendi, rotunditas est perfectionis insigne : idci quatuor illas rotas congrue et juxta rationem n cupo, quia videlicet in primis duobus, hoc es dilectione Dei et proximi, perfectio religionis in tur ; et in duobus aliis, id est in incorruptione poris et in integritate animæ, consummatio hum beatitudinis possidetur. Nam et poeta, cum p

(2) Ita Ernaldi temporibus

Digitized by Google

ctum hominem describere conaretur, in summa subjecit :

...Totus teres atque rotundus.

(Horat. *Sat.* l. II, sat. 7, vers. 85.)

Jam ergo post descriptionem formæ ad partes rotarum transeat oratio.

III. Partes rotarum integrales sunt canti, radii et modioli. Volo itaque singulis rotis suos cantos, suos radios, propriosque modiolos assignare. Prima rota, dilectio Dei. Hæc rota habet cognitionem Dei quasi interiorem modiolum, ex quo videlicet procedunt divisi ac multiplices radii meditationum, quibus per circuitum innexi sunt et infixi multiformes et innumeri canti devotionum, ubi perfectio maxime denotatur. Secunda rota dilectio proximi. Huic interior modiolus est virtus misericordiæ, unde procedunt radii compassionis et fraternæ clementiæ, quibus tot canti incumbentes exterius prominent, quot ad sustentationem proximi, quibus opera pietatis exercent. Tertia rota, integritas animæ : et hæc compacta est ex modiolo perfectæ justitiæ, et radiis plenæ scientiæ, et cantis consummatæ lætitiæ. Hujus rotæ partes, sicut altrinsecus positæ, aut parum valent, aut prorsus inutiles jacent, vel etiam noxiæ a recto dissident : sic e regione simul adjunctæ ac velut in unius rotæ compositionem redactæ, in quantum intelligentia mea potest rimari, ad plenam et consummatam felicitatem animam nostram restituunt. Sex quippe sunt offendicula, quæ omne bonum animæ aut deturpant aut puniunt. Nam et lætitia nostra vel immunda esse solet propter vicinum fomitem concupiscentiæ, vel suspecta propter infirmitatem alterius conscientiæ. Et justitia nostra sæpe fit onerosa propter corpus, quod corrumpitur et aggravat animam ; et indiscreta, propter innatam nobis invincibilem ignorantiam : et scientia nostra plerumque nos inflat propter cenodoxiæ vanitatem, aut contristat, dum nostram cognoscimus infirmitatem. Cum autem fuerit Deus omnia in omnibus, jam nec scientiæ nostræ adversabitur superbia aut tristitia, nec justitiam impediet gravitudo aut inscientiam, nec lætitiæ invidebit suspicio aut concupiscentia, quando conscientia erit humilis propter justitiam et hilaris propter lætitiam, et justitia facilis propter lætitiam, et discreta propter scientiam, et lætitia munda propter justitiam et sine querela propter scientiam. Sequitur quarta rota, quæ supra assignata est esse incorporalis. Et hæc itidem sicut et cæteræ, suum habet modiolum, qui est imperturbabilis et immortalis vivacitas. Inde consurgit velut quinquepartita radiorum dispositio, videlicet subtilis et per omnia spiritui consentiens, quinque sensuum perfecta integritas, ordinatis exterius cantis in habitudine formæ, in quantitate, in qualitate, in splendore. Ubi nihil deforme, nihil superfluum, nihil incongruum, nihil obscurum, sed per omnia reformabitur corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis divinæ, ita ut impleatur illa repromissio qua dictum est : *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum* (*Matth.* XIII). Assignata ut propositum erat, compositione rotarum, nunc ipsa junctura plaustri colligenda est, quæ ad minus necessario tria habebit, duos videlicet axes qui quatuor rotas conjungant, et machinam cui altrinsecus duo axes inhæreant.

IV. Igitur in anteriori parte, quæ versus cœlum dirigitur, duas illas rotas, scilicet animæ integritatem et corporis incorruptionem, jungit illa pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum. Et hanc ipsam pacem non aliam intelligo quam virtutem et sapientiam Dei, Christum Jesum. *Ipse est pax nostra, qui facit utraque unum* (*Ephes.* II), ita ut caro jam non concupiscat adversus spiritum, nec spiritus adversus carnem, quoniam non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium, sed erit Sabbatum et feriatio sempiterna in civitate, cui nomen Dominus ibidem. Et hæc universa, imo valde majora quam sensus humanus modo non potest capere, præstolamur habituri in re, quæ jam omnia possidemus in spe, quoniam propter spem quasi jam omnia tenemus, sicut dicit Apostolus : *Spe salvi facti sumus* (*Rom.* VIII). Nam et primitias hujus pacis jam accepimus, quando nullus in pœnis adversæ potestatis, nulla molestia ejus putredinis quam portamus potest nos perturbare ab ea quiete quæ est in Christo Jesu, dum spiritus adjuvat infirmitatem.

V. In posterioribus hujus plaustri bifariam partem rotarum, quæ sunt dilectio Dei et amor proximi, copulat axis rectæ intentionis, quoniam hæc et Deum diligi caste, id est propter se solum, et proximum pure facit amari, id est propter Deum. De medio hujus axis procedit spes, quæ ad Christum usque pertingit, et ita totum plaustrum continuat et conjungit. Super hanc sedet arca testamenti, id est anima cujuslibet justi ; et habet in se urnam auream plenam manna, dum Christum, hominem plenum gratiæ et veritatis, tenet in sua memoria ; et tabulas testamenti, in quibus accipitur præceptorum Dei scientia : et virga Aaron quæ est florida, est dulcis beatæ Mariæ recordatio cum reverentia. Et ne arca ista facile a plaustro isto possit corruere, quadro pariete necesse est illam fulciri, ut ante habeat desiderium præsentiæ Christi, retro contemptum mundi, in læva fortitudinem contra adversa, in dextera consuetudinem contra prospera. Boves qui hunc currum trahunt, angeli sunt omnes administratorii in ministerium missi propter arcam testamenti, ut capiat hæreditatem salutis. Hi boves sub jugo socialis concordiæ, quæ adjuncta est temoni virtutis divinæ, fortiter astricti vinculis charitatis humanæ, ducunt arcam Dei in cœlestem Sion, in supernam Jerusalem, matrem nostram. Quod autem legitur, quia calcitraverunt boves et inclinata est arca, et sacerdos volens eam relevare, præsumptione occubuit (*II Reg.* VI), ita intellige quia oportet tentationibus animam exerceri, et, dum circuit per plateas et vicos civitatis ; si forte inve-

Digitized by Google

niat dilectum, fiunt ad eam immissiones per angelos bonos, et percutiunt et vulnerant eam custodes murorum, et auferunt pallium ejus, ut sciant utrum decorem nudum virtutis apportet, utrum simulatorie, an in veritate quærat amicum. Unde et illa aliquoties in fervore spiritus transit etiam custodes, ne victa difficultatibus experiatur *Quoniam fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio* (*Cant.* VIII). Aliquando autem velut arca testamenti inclinatur, humiliatur, et pondus gloriæ sustinere non valens dejicitur, sed non obruitur: incurvatur, sed non prosternitur, quoniam non in molli lecto puræ conscientiæ, tanquam infirmata recipitur. Si quis æstimat se pertinere ad genus electum, regale sacerdotium, non præsumat hujus animæ fulcimentum suæ falsæ virtuti supponere, non præsumat arguere meliorem se, non contristet ullatenus animam plenam Deo, ne forte indignatio oriatur, et præsumptio confundatur, quoniam qui tangit talem animam, quasi qui tangat pupillam oculi Dei, qui semper odit præsumptionem et superbiam, et mansuetis gratiam confert et gloriam, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V.

De definitione loci et multis locorum divisionibus, tum de loco pœnitentiæ et solitudinis. Ubi sicut in præcedenti, textu relicto, in plaustrum Davidis abreptus est, ita hic varia quoque, neglecto textu, tractans vagatur.

I. Super descriptione loci, audivi plurima inter se dissonantia et valde diversa, quæ omnia si vellem conferre atque in unum colligere, disputationem et contentionis occasionem magis viderer adducere quam inquirere veritatem. Unde quid mihi videatur, et cui magis consentiam, ex occasione hujus loci conabor disserere, si tamen utcunque valeam promulgare quod sentio. Locum esse arbitror, omne quidquid illud est in quo quomodocunque aliquid est; et cum aliquid dicitur esse in aliquo illud in quo est, locus est, quod in ipso est. Quod ut lucidius possit clarescere, dividendum est hoc genus in suas species, quia omnis res divisione melius innotescit. Locus alius corporeus, alius incorporeus; alius simplex, alius compositus: et compositus, alius solidus, alius mathematicus. Incorporeus dividitur in opinabilem, intelligibilem, affectualem, accidentalem, potentialem, naturalem, personalem, intellectibilem. Item intellectibilis, alius imperfectus, alius consummatus. Consummatus, alius superior, alius inferior; imperfectus, alius tenebrosus, alius caliginosus, alius lucidus, alius luminosus. Et in his omnibus taceo de loco, qui apud dialecticos sedes nuncupatur, de quo grandis sermo, multiplexque illius divisio hic penitus omittenda. Facta igitur loci divisione, per quasdam ejus species, nunc a prima usque ad extremam libet decurrere, ut quis sit iste locus de quo hic agitur valeam intimare.

II. Locus corporeus simplex est capacitas simplex cujusque corporis, ut sunt guttæ quæ per poros procedunt ex humano corpore, adeo parvæ: ut nihil minutius, secundum physicos, natura corporea possit habere. Corporea vero simplicia sunt, quæ in partes secari non possunt, ut unisonum, atomus, et his similia, quæ omnia individua proprie et naturaliter appellantur. Naturaliter ideo dico, quoniam tribus modis individuum cum dicatur, videlicet soliditate ut adamas, specici subjectione ut hæc manus, parvitate ut osonum: hoc solum naturaliter et proprie videtur individuum nuncupari, quod nec ferro ut manus, nec arte ut adamas, nec alio quolibet modo recepit sectionem. Et dic ut quidam hujusmodi corpora non esse quantitatem, sicut nec divisionem, pro eo scilicet quod, secundum Aristotelem, videatur omnis quantitas composita esse. Ubi dividit quantitatem in continuam et discretam; et utramque describens, aliam asserit partes habere copulatas ad communem terminum, aliam itidem partes habere, sed non ad communem terminum copulatas. Quare inferunt simplex corpus non recipere quantitatem, alioquin jam posse in partes dividi, et ita simplicitate privari. Non assentior illud corpus esse sine quantitate, sed Aristotelem æstimo non de simplici quantitate descriptionem dedisse, sed de sola composita. Omne igitur corpus recipit quantitatem; quare et locus corporis, quoniam nonnisi secundum corpus, judicatur de loco.

III. Locus corporeus compositus et solidus est vacuitas illa quæ tale quodlibet corpus continet, cui altitudo et latitudo et longitudo secundum certam dimensionem possit aptari, ut arca et similia. Locus mathematicus est illa quæcunque capacitas, intra cujus ambitum tale corpus tenetur, quod secundum altitudinem et latitudinem, vel aliam quamlibet dimensionem, nullatenus potest describi, u sonus, vox, strepitus, sibilus, et multa similia quæ mathematica, id est scientialia, nuncupan tur.

IV. Locus incorporeus est quorumlibet incorpo ralium habitudo in aliquo, sive opinabiliter, ut chi mæra in cogitatione, sive intelligibiliter, ut gen in specie; aut affectualiter, ut amor in mente; a accidentaliter, ut justitia in homine; aut potenti liter, ut angelus in visibili specie; aut naturalite ut superficies in colore; aut personaliter, ut anim in sua carne; aut intelligibiliter, ut spiritus cre tus in Spiritu creatore. Opinabile est, ut dicit T mæus, quod non sine aliquo phantasmate perci humana cogitatio; intelligibile, quod pura et si imagine intuetur ratio; affectuale, quidquid spec ad desiderium, et est studium, cujus descriptio e vehemens applicatio ad aliquid agendum cum n gna voluntate; accidentale est, quod et adver tium potest vocari, quod scilicet teste August aliquam infert mutationem illi rei cui accidit, et test adesse et abesse præter subjecti corruptione potentiale est, quod solitum cursum naturæ, q dam sibi ingenita potentia, potens est mutare;

Digitized by Google

turale, quod soliti et antiqui cursus limitem non excedens, prout institutum est, ab initio perseverat; personale est, quod per seipsum rationalis substantiæ individuum repræsentat; intellectibile est illud solum quod omni et soli bono intellectui præsto est ad fruendum. Huic soli intellectibilitas assignatur; nam cæteræ incorporales substantiæ intelligibiles nuncupantur.

V. Itaque locus intellectibilis est cujuslibet rationalis substantiæ habitudo in Deum: et hæc habitudo vel locus, aliter in cognitione, et aliter in amore, et nunquam sine perfecto amore perfecta potest esse boni illius cognitio. Idcirco locus intelligibilis, alius imperfectus invenitur, ut in hominibus; alius consummatus, ut in superbis spiritibus. Et nota quod, sicut de loco corporali judicatur secundum corpus, ita et de loco intelligibili, secundum quantitatem cognitionis vel amoris, quod scilicet dicitur aliam habere in Deo habitudinem vel locum Michael archangelus, atque aliam quilibet inferior aut superior in illis ordinibus. Et licet omnes perfecti sint sine ulla cognitione, alius tamen alio beatior, alius alio in eadem cognitione inferior: non dico, imperfectior, sicut circulus alio alius minor, non tamen imperfectior. Perfecti igitur cum sint in cognitione, sequitur ut sint perfecti et in amore, quia etsi sine amore potest aliqua esse illius boni cognitio, nulla tamen esse potest sine aliqua cognitione ejus dilectio, et in omni pio intellectu æquipollenter hæc duo copulantur, ubi, teste Gregorio, amor ipse notitia est. Sed quoniam de abysso illo amoris et cognitionis, tunc solum erit facile disputare, cum fuerit, ut repromissum est, humana substantia ad æqualitatem angelorum translata, perfectionem illorum magis optare ac sperare libet quam definire. Et idcirco ad eum locum intelligibilem, qui imperfectus dicitur, placet accedere, quoniam is facilior est ad disserendum, et forsitan utilior est ad rimandum.

VI. Imperfectus, ut supra assignatum est, dividitur in tenebrosum, caliginosum, lucidum, luminosum: tenebrosus nihil habet amoris, caliginosus multum habet timoris; lucidus aliquantum permistus est amore et timore; luminosus, excluso omni timore, solo illustratur amore. Primus pertinet ad superbos incorrigibiles, secundus, ad conversos et incipientes; tertius, ad profectos et proficientes, qui solus unus recipit excedentes. Superbus in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat, quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. Attamen quantulamcunque habens cognitionem Dei, locum habet intellectibilem, sed plenum tenebris; quia lux quidem lucet in tenebris, idcirco locus est intellectibilis; sed tenebræ eam non comprehenderunt; ideo tenebratus est locus atque terribilis. Superbus quippe omnis, qui tanquam Pharao induravit cor suum, impietatis arguitur, et in Deum nefas committit. Quoniam infelici similitudine membrum illius efficitur, qui primo quidem æqualitatem Dei ut impius affectavit, nunc autem adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Et quoniam ad hujus imitationem cunctis diebus vitæ suæ superbit impius, et superbia ejus ascendit semper, Deus autem superbis resistit, et omnem arrogantem humiliat, nimirum inter tenebras et lucem chaos magnum firmatum est, nec ullo modo fas est hinc inde quemquam transire, aut inde huc aliquem transmeare. Lux etenim cum sit Deus, et tenebræ in eo non sint ullæ, istis ita posuit tenebras latibulum suum, et lucem habitat inaccessibilem, ut merito jam terribiliter inclametur: *Tollatur impius ne videat gloriam Dei; non enim videbit lumen in æternum* (*Isa.* XXVI).

VII. Heu cæcitas cordis humani, per quam factum est ut jam nulla aut prope sit nulla differentia inter dæmones et homines filios tenebrarum! Et (quod deterius est), nescierunt neque intellexerunt quod in tenebris ambulant; imo et avertunt faciem suam ne videant in finem, obturantes aures velut aspides, ne forte audiant et intelligant, et recogitent pariter illud divinum: *Redite, prævaricatores, ad cor* (*Isa.* XLVI). Sed nunquid semper non audient, aut semper non intelligent? Exaudient sane et intelligent, sed infructuose, quando, juxta prophetam, *sola vexatio intellectum dabit auditui* (*Isa.* XXVIII). Non enim semper istas interiores tenebras tanquam phrenetici irridebunt, sed ejicientur in tenebras exteriores, ubi duplici contritione conteret eos Dominus, quoniam dupliciter irritaverunt te, Domine, in vanitatibus suis. Lætantur quippe cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis, mali actu, sed pessimi cogitatu. Nam etsi in multis propriæ concupiscentiæ satisfaciunt, nunquam tamen adimplere valent quod cupiunt: propterea corrupti carne, corrupti et anima, induantur necesse est, sicut diploide, confusione sua. Tibi soli gratias ago, bone Jesu, qui me reum tuum in manu forti et brachio extento, eduxisti de tenebris illius superbiæ ac tumidæ obstinationis per aquas validæ tentationis, in desertum laboriosæ pœnitudinis, locum afflictionis, locum timoris. Iste est locus, qui paulo ante caliginosus et multum habens timoris est appellatus: quem nequaquam ita celeritate volo transilire, et orationem nimis stricto compendio coarctare, quoniam de isto in libro experientiæ multa legi, eique multo tempore vehementi studio totus adhæsi. In hoc loco, tribulatio et angustia invenerunt me, et circumdederunt me dolores mortis æternæ, et sicut inundantis aquæ sic rugitus meus, quoniam Dominus ebibens spiritum meum, sicut abyssus vallavit me, et tanquam pelagus operuit caput meum. Heu! abyssus timoris procedens ex aliis tribus abyssis, scilicet de abysso peccatorum, de abysso judiciorum, de abysso infernalium tormentorum. In abysso peccati vermis latet, conscientiam semper depascens insatiabilis. In abysso judiciorum Dei, sententia manet irrevocabilis. Væ misero, quem tertia præstolatur abyssus, ubi ignis inexstinguibilis! Itaque

Digitized by Google

abyssus peccati mel invocavit abyssum judiciorum Dei, utraque abysso demergente peccatorem in abyssum interitus sempiterni.

VIII. In hac tam horrenda consideratione expavi, et turbata sunt omnia ossa mea, et dixi : Non videbo prorsus, non videbo Dominum Deum in terra viventium. Sed descendam ad portas inferi, *et in profundissimum infernum descendent omnia mea* (*Job* XVII). Ita per singulos dies habitabat in inferno anima mea, et sicut impius per singula momenta projiciebar a facie oculorum Dei, ut plerumque cogeretur infelix anima in illam erumpere vocem. Desperavi, nequaquam ultra jam vivam. Hoc totum faciebat, bone Jesu, vox cataractarum tuarum, vox occultarum, multiplicium, terribilium inspirationum tuarum. In hac voce, Domine, commovisti terram, et conturbasti eam. Hæc vox, sicut vox aquarum multarum, sicut vox sublimis Dei, tanquam spiritus vehemens conterens naves Tharsis, sicut spiritus grandis et fortis : et vere grandis et fortis, quia subvertens montes superbiæ et conterens petras obstinationis ante Dominum. *Non in spiritu Dominus, et post spiritum commotio* (*III Reg.* XIX); quia commota est et contremuit terra ; quoniam respexit Dominus terram, et fecit eam tremere et moveri ad pœnitentiam. *Non in commotione Dominus, et post commotionem ignis* (*ibid.*), ignis videlicet igne zeli Domini devorans omnem terram, ignis succensus in furore Domini et ardens usque ad novissima inferni, ubi jacebit impius in medio tenebrarum male sopitus. *Non in igne Dominus.* Ubi ergo Dominus? Nunquid in strepitu hujus tantæ contritionis, commotionis, conturbationis? Non : sed *factus est in pace locus ejus* (*Psal.* LXXV). Nam post spiritum grandem et fortem, post commotionem, *post ignem*, ecce *sibilus auræ tenuis* (*ibid.*), subtilis scilicet et paucis cognita inspiratio deitatis. Quæ sicut aura tenuis, suavis, utilis, perflat et fecundat hortum conscientiæ spiritalis, ut fluant, non defluant aromata purissimæ meditationis. Iste sibilus penitus incognitus est initialiter pœnitentibus, nec multum consuetus aut familiaris est mediocriter proficientibus, quoniam valde affinis est sublimiter excedentibus.

IX. Locum igitur initialis pœnitentiæ merito appellaverim nebulosum et caliginosum aut turbidum, ubi non videtur Dominus, non apparet lumen et gloria plebis Israel. Sed quid? Ignis, sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum qui digni sunt morte, ignis inferni, sulphur peccati, spiritus procellarum divini judicii. Agitur quippe in illa infelici conscientia jam quasi præsentialiter dies illa Domini, dies judicii. Jam apparet judex immoderate offensus, jam ardet mundus, datur sententia, tartarus aperitur. Non excidit a cogitatione, non potest avelli a memoria dies illa, dies iræ, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris. Ira prædicat et indicat offensum judicem Deum, quem nemo prævalet sustinere etiam placatum ; tribulatio refertur ad tormentum accusantis conscientiæ; angustia ad formidolosam præstolationem terribilis illius sententiæ; calamitas ad damnationem, quæ præparata est malignis spiritibus ; miseria ad conjunctionem hominum cum ipsis dæmonibus. Tenebras autem faciet luminarium subtractio, caliginem, concitati aeris turbulenta illa commotio ; nebulam excitabit totius orbis conflagratio, turbinem vero omnium electorum confusio. Tuba pertinet ad ministerium angelorum, clangor ad impetum et subversionem omnium impiorum : qui cum sublati fuerint, timebunt angeli, et territi purgabuntur. Si ergo timebunt angeli, si justus vix salvabitur, ego impius in Deum, iniquus in proximum, homicida in meipsum, ubi apparebo? Quo ibo a spiritu judicis mei? et a facie ejus quo fugiam? Nemo eum potest declinare, nemo ei resistere, nemo eum fallere, nemo potest corrumpere, quoniam et ubique ipse est, omnipotens est, et optimus est. Idcirco meditatus sum nocte cum corde meo, consului rationem, allocutus sum conscientiam quid facto opus sit. Et dum anxiaretur spiritus meus et cogitationes meæ conturbarent me, adfuit Spiritus consilii, et susurravit in auribus meis, quoniam Deus noster ipse est Deus salvos faciendi, et fons patens in ablutionem peccatorum et menstruatæ, et petra refugium herinaciis; vulneratus propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, et livore ejus sanati sumus. Ideo omnis qui credit in illum, non confundetur, sed fides ipsa reputabitur ei ad justitiam, quoniam is in quem credimus peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. Intellexi consilium hoc non esse consilium Achitophel inimici David, sed consilium Chusi, qui sonat *silentium*, id est Spiritus sancti, qui sine strepitu verborum docet hominem scientiam.

X. Audita voce nuntii hujus, statim revixit spiritus meus, et quasi de gravi somno evigilans, exire cœpi de loco illius nebulæ et caliginis. Tunc dixit Dominus : *Fiat lux. Et facta est lux* (*Gen.* I), quoniam dum habitarem in regione umbræ mortis, lux orta est mihi : *Et factus est vespere et mane dies primus* (*ibid.*). Non *mane et vespere*, sed *vespere et mane*, quia non prius quod spirituale est, sed quod animale ; deinde quod spiritale. Ante istam diem, diem benignitatis, diem consolationis, nullatenus intelligere potui quoniam ad hoc ipsum : *In principio* mihi *creavit Deus cœlum et terram* (*ibid.*), animam et carnem meam, ut in his duobus operaretur opera bona valde, et probaret mihi non argumentis, sed rebus, quoniam ipse est *qui facit mirabilia magna solus* (*Psal.* CXXXV). Nam et ante hæc mirabilia ejus, *terra* mea *erat inanis et vacua* (*Gen.* I). Inanis, quia tota dedita vanitati per gloriam temporalem, cum nequaquam exsultaret in Deum vivum, sed in vanis et ampullatis sermonibus, in argumentis et sophismatibus, et hujusmod

Digitized by Google

erat pars mea in diebus vanitatis meæ. Vacua quoque erat terra mea, quoniam totum exinanitum erat usque ad fundamentum in ea; nihil boni, nihil gratiæ in ea remanserat, præter id solum quod creatura Dei non esse non poterat. *Et tenebræ erant super faciem abyssi* illius interioris, super faciem conscientiæ peccatricis, tanquam velamen super faciem Moysi, quia obscuratum erat insipiens cor meum, et maculata mens et conscientia, et non potui ut viderem. Attamen *Spiritus Dei ferebatur super aquas* (*Gen.* 1), sicut pius, sicut misericors regens aquas fluctuationis et instabilitatis meæ, ne totus perefluerem, ne peritum irem.

XI. Et *vidit Deus lucem quod esset bona* (*ibid.*), lucem visitationis suæ, lucem illuminationis meæ, et divisit eam a tenebris, ut jam nulla sit participatio Christi ad Belial, nulla societas lucis ad tenebras. Et hanc lucem appellavit diem, in ea qui ambulat, non offendit; et illas tenebras vocavit noctem, quoniam in ea nemo potest operari. Et sic factus est *dies unus*, dies primus : unus, quia binarius ille, qui primus recessit ab unitate, non pertinet ad hanc diem; primus, quia in ordine profectus pœnitentialis, cum sex dies sint divinæ operationis, per quas quis transit ad Sabbatum contemplationis; earum prima dies ista, quæ habet A vespere timoris et mane consolationis; et hac prima die, incipit homo ingredi locum illum intellectibilem, quem lucidum appellavi. Jam ne forte simplicitatem meam exponam risui eorum qui videntur sibi aliquid esse, et cum aliquid novum audierint, pro qualitate dicentis aut subsannant et detorquent, aut rumore secundo ferunt ad astra, non quia bene aut male sit dictum, sed quia a tali et tali sit editum. Noverit qui ejusmodi est quoniam loca ista quæ gratia Divinitatis, ad quam et in quam per ista tenditur, vocavi intellectibilia. Idcirco non debent videri absurda aut insolenter posita, quoniam Christum Dominum invenio apud doctores ecclesiasticos quamdam beatam regionem vocari, in qua pro diversitate animorum diversa B utique possit intelligi qualitas mansionum. Inde est illud Augustini : *Sine omni controversia quædam regio est beatitudinis animi, ipse Deus.* Jam igitur miserante Christo locum hunc ingressus itinere unius diei, festinare cupio et velle mihi adjacet ordinate incedere per reliquas dies, usque ad Sabbatum, ubi solum et maxime datur vacare, sabbatizare, et videre quoniam suavis est Dominus, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.